statutum fuerit, probare minime poteris. Nos autem et plurimi nobiscum luce clarius compertum habemus, quod non solum Romuleae civitatis, sed pene omnis Italiae praesules memorato interfuere concilio. Quapropter si favente Deo regalis potestas universale fecerit

f. 133' concilium, quid de vobis censendum erit, qui tot episcoporum sanctiones irritas facere non veriti estis.

30. De scelere, quod in cadaver papae Formosi perpetratum est.

Inf. Stephanus, qui tertius a Formoso extitit papa, eundem Formosum adeo reprobum esse iudicavit, ut cadaver eius de tumulo extrahi et in concilium trahi faceret; ibique cum pretiosis vestibus denudantes ~~loci quo~~ laico[a] amictu velaverant et ferro duobus dextere digitis amputatis in quodam peregrinorum tumulo sepelierunt, nec multo post in Tiberinum fluvium praecipitaverunt. Def. Sicuti belue humanitatis immemores, quomodo intellexerant, ita et operati sunt. miserrimi ubi hoc didicerant; praesertim cum Dominus non dixerit: Quaecumque ligaveritis sub terra, vel [illegible] sub flumine, sed ait: Quaecumque ligaveritis super terram, erunt ligata et in caelo. De talibus enim dicit apostolus: Quidam zelum Dei habent, sed non secundum scientiam. Propter scelus saltem poeticam attendere debuerant sententiam, quae dicit: Parce pias scelerare manus iam parce sepulto. et Nullum certamen cum pectore cassis, idest mortuis[b]. Verumtamen huiusmodi de sede ad sedem translatio, si quodammodo illicita fuisset, nonne ecclesiastica pietate tolerare, et non inauditis crudelitatibus exagerare debuerant, et sic demum advocata universali sinodo generaliter censerent, ut deinceps Romana civitas tale quid committere non auderet.

31. Quod ad testificandum, quae recta sunt, nullius gentis homo prohibendus sit. Inf. Tandem aliquando ad te revertar. Porro cum sis homo exterae gentis, et apud nos humanae vitae subsidiis indigeas, quid ad te pertinet, nostris resistere disceptationibus.

a) loci quo l.

Virg. Aen.

b) et – mortuis desunt 3

7 et 1. [illegible]